

CALATIA



ALATI A, quam nunc Caiaziam Itolorum vulgus appellat, antiqua vrbs est Campaniæ Felicis, prope Vulturnum amnem. Capua VIII, Neapoli vero XXIII Italicis miliaribus distans.

Fuit olim Municipium, vt patet ex pulcherrima inscriptione, quæ legitur in vetusto lapide in foro ipsius Ciuitatis, & ex historicis etiam quamplurimis, qui narrant Artium Calatinum fuisse dictatorem, supremo apud Romanos magistratu, quo non potuisset fungi, nisi Municeps fuisset, cum Municipes tantum Urbis Romanæ munerum participes olim fierent.

Eam fuisse præcipuam Campaniæ Ciuitatem, patet ex Polybio, qui lib. 3. enumerans causas aduentus Annibalis in Campaniam, hanc quoque addit, vt potiretur scilicet, nobilibus ciuitatibus, Capua, Atella & Calatia.

De Capua, Atella, & Calatia, habetur frequens mentio apud Liuium, & Plutarchum in Annibale.

Cicero (licet P. Manutius perperam, quod pace sua dictum sit, ac contra veterum exemplarium omnium auctoritatem locum illum corruerit, prout etiam Virus Amerpachius & Victorius, qui pro Calatinum Calatinum, vel Galathinum legunt) meminit lib. 13. Epistolarum, quæ familiares vocantur, de Hippia Philoxeni filio Calatino, hospite & necessario suo, & de legibus Calatinorum, quibus vetabatur, ne quidquam publicum, nisi publico nomine possideretur. Ex qua Ciceronis Epistola etiam apparet Calatiam Municipium fuisse, cum eam suas leges habere dicat, quod proprium Municipiorum erat. Colonia namque & ceteræ Ciuitates, populi Romani legibus astringebantur.

Meminit etiam Cicero huius Ciuitatis lib. 16. ad Atticum, Epistola VII. his verbis (quæ libet adscribere cum ex illis videre sit, quanti Octavianus illam Ciuitatem fecerit) Kal. vespere litteræ mihi ab Octauiano redite sunt. Magna molitur: veteranos, qui que Casilini, & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam.

Idem denique Cicero, cum in Rullum oraret causam, & de Capuæ excellentia verba faceret, Callatiam quoque inter præcipuas Campaniæ vrbes commemorat, his verbis. Romam in montibus positam, & conualibus, coenaculis sublatam, atque suspensam, non optimis vijs, angustissimis semitis, præ sua Capua, planissimo in loco explicata, ac præ illis semitis irridebunt, atque contemnent agrorum verò, Vaticanum, & Pupinium cum suis optimis, atque vberibus campis conferendos scilicet non putabunt, oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum, ac per iocum contemnent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuuium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeijs, Nuceria comparabunt.

Exstat adhuc magna pars veterum murorum, qui fuerant tantum ex quadratis lapidibus sine calce, aliòve genere ferruminationis structi, præferentes haud paruam Urbis elegantiam.

Antonius Sanfelicius Monachus, eleganti de Campania libello, Montana est, inquit, Calatia, supra quam, seorsum tamen, ingens quadrato saxo surgit opus, quod rupis faciem oculis offert, ferruminatione nexu lapidibus aptè inter se coherentibus. Hæc fuisse antiqui oppidi mœnia sunt qui dicant, quos, ego non sequor, opinor, quæ ciues per ea tempora habitasse, vbi adhuc habitant. Argumenta mihi est perennis aqua influens subterraneo riuo in cisternam veterem, quæ in oppidi est umbilico, ipsaque aqua per æstiuos menses ob innoxium frigus ciuibus gratissima est. Adde etiam testimonium superpositæ ibi marmoreæ tabellæ, in qua hoc incisum est Epigramma.

M. GAVIVS TF
QVISELLIVS QF.
GALLVS
DVOVIR QVINQ
CREPIDINES CIRC
FORVM SPF.

Si ergo hæc erat forum, continuè & oppidum, nunquam foro mœnibus excluso. Habent hi colles olea distincta oleastris, quorum baccæ non carne, sed liquoris dulcedine commendantur.

Hæc Cisterna, cuius auctor hic meminit, etiamnum Calatinis commodè inseruit. In foro enim Ciuitatis, insignis est puteus, qui constat magno subterraneo edificio in tres partes diuiso, mirabili artificio factus. Nam cum intrinsecus non solum singuli parietes, & camera, sint solido marmore muniti, verum etiam ipsum patimentum adeò vt aquis scaterere penitus non possit, tamen perpetuè abundat aquis, mirantibus cunctis, nemine causam abundantia aquarum adhuc sciente, licet vulgus illorum hominum, pro vniuscuiusque captu, varia iudicia ferant.

Sunt multa in ea vrbe antiquitatis monumenta, & veteres inscriptiones, quas omnes hic intexere, vna hæc pagina non tolerat. Illud tamen silentio præterire non possum, quod etiamnum in ipso foro Ciuitatis exstat simulachrum lapideum Priapi, paucos ante annos in ruderibus antiquissimi templi Veneris Felicis repertum, quale simulachrum neque in antiquitatibus quotquot Romæ sunt, neque in alia vlla vrbe, quod sciam, reperitur.

Fuit Calatia in primis ipsis crescentis Ecclesiæ temporibus Episcopatus titulo insignita, vt patet ex publicis tabulis, ab vsque Anno humanæ salutis CCC. confectis, vbi mentio habetur Episcopatus Calatini.

Fuerunt inter illius vrbis Episcopos duo sancti viri pietate & miraculis clari, S. Ferdinandus scilicet, & S. Stephanus. Ferdinandus qui iam dudum ante Stephanum illam Ecclesiam rexit, Hispanus ex regali Aragoniæ profapia fuisse traditur, quo tempore claruerit ignoratur. Eius corpus seruat in templo suo nomini dicato, in oppido Albiniano Calatiæ Diocesis. Stephanus, Italus fuit, claruit tempore Landulphi Principis Capuæ, cuius corpus seruat in ipso Episcopali templo, suo nomini dicato. Eius festa dies celebratur IIII. Kal. Nouemb. qua etiam populo ostenditur illius digitus, qui est adhuc integra carne.

Ecclesia